




1 I. W. X. Biskup Kyowski Iędrzey Braci swoiem Zakonu Kazno: nawieczne czasy. Krzyza Iezusowego
Drzewo daruie. 2. Pleban Kosciota Farnego y Z magistratem prosi o cząstkę tego Drzewa Zbawiennego
dosięgo Kosciota aby go udzielic. 3. Gdy się wazy Biskup dzielic dłuto rękę przebyła czym napomniony
woli czym cale go Braci oddaie. 4. Zdrowa rękę odbiera pouczymonym Votum Oycom go cale zostawie
I. F. sc

C

M

C

In F
fub

C

T

CULTUS
SSmæ CRUCIS
cum
MEMORIA PASSIONIS
D. N. JESU CHRISTI
Indissolubili nexu
CONJUNCTUS,
In Ecclesia Sancti Stanislai Ep. & M. P.R.P.
sub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum
Lublinensium
Omnibus
COMMENDATUS;
Speciali favore, ac devoto animo,
à Confratribus sub Titulo ejus-
dem SSmæ CRUCIS.
PERSOLVENDUS.

L U B L I N I
Typis S.R.M. Coll: Societ: JESU
A. D. 1758.



Quicunque abominantur Crucem, aut èam recuſant latriæ adoratione venerari, eô ipſô fiunt infideles.

In elucid. D. Th. Q. 25. Art. ad 1mum.

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini Noſtri JESU Chriſti.

Miſſ. Rom.



Bulla Innocentii XI instituentis Confraternitatem sub titulo S. Crucis, & pluribus Indulgentiis eam dotantis.

INNOCENTIUS XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm (sicut accepimus) in Ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum, Oppidi Civitatis nuncupatæ Lublini, Cracoviensis Diæcesis, una, pia, & devota utriusque sexus Christi Fidelium Confraternitas, sub titulo Exaltationis Sanctæ Crucis, (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonicè erecta, seu erigenda existat; cujus Confratres & Consorores quàm plurima pietatis & charitatis opera exercere consueverunt. Nos ut Confraternitas ejusmodi majora in dies suscipiat incrementa; de Omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi; Omnibus utriusque sexûs Christi Fidelibus, qui dictam Confraterni-

tatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressûs, si verè pænitentes & Confessi, Sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam. Ac eisdem tam descriptis, quam pro tempore describendis, in dicta Confraternitate Confratribus & consororibus, in cujuslibet eorum mortis Articulo, si verè pænitentes & confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam. Ac eisdem nunc & pro tempore existentibus, dictæ Confraternitatis confratribus & consororibus etiam verè pænitentibus & confessis, ac Sacra communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Ecclesiam seu Capellam, vel Oratorium, die Festo Exaltationis Sanctæ Crucis à primis Vesperis usque ad occasum solis Festi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces funderint, plenariam similiter omnium su-

orum

orum peccatorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer à Domino concedimus. Inſuper dictis confratribus & conſororibus, etiam verè pœnitentibus & confeſſis Sacra communione refectis, Eccleſiã, ſeu Capellam, vel Oratorium hujuſmodi in feſto Inventionis ejuſdem Sanctæ Crucis, ac prima, ſecunda, Tertia, ſextis feriis menſis Martii diebus, ut ſupra, viſitaverint, & ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint; ſeptem annos & totidem Quadragenas. Quoties verò Miſſis & aliis Divinis Officiis in Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio hujuſmodi pro tempore celebrandis & recitandis, ſeu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint; aut pauperes hoſpitio ſuſceperint; vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum tàm Confratrum & conſororũ hujuſmodi, quàm aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque proceſſiones de Licentia Ordinarii fecerint, Sanctiſſimumque Euchari-

 ſtiæ

ſtiæ Sacramentum tam in Proceſſionibus quàm cum ad Infirmos, aut alios ubicunque & quomodocunque pro tempore deferetur comitati fuerint, vel ſi impediti, campanæ ſigno ad id dato, ſemel Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam dixerint; aut quinquies Orationem & ſalutationem eandem, pro animabus Defunctorum Confratrum & cónſororum hujuſmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorum operum exercitio, ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pænitentiis in forma Eccleſiæ conſveta relaxamus. Præſentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus aûtem, ut ſi alias dictis Confratribus & Conſororibus præmiſſa peragentibus aliquæ *aliæ* Indulgentiæ perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duraturæ conceſſæ fuerint, illæ revocatæ ſint, prout illas per præſentes Apoſtolica Authoritate

revo-

revocamus. Utque si dicta Confraternitas alicui Confraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur; vel etiam quomodolibet instituatur; priores, & quævis aliæ literæ Apostolicæ illis, nullatenus suffragentur; sed ex tunc eo ipso nullæ sint. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1687. Pontificatûs Nostri Anno Undecimo.



Testimonium Admissionis Illustrissimi ac Reverendissimi D.Domini Episcopi Laodicensis Suffraganei Cracoviensis.

NICOLAUS Oborski Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Laodicensis Suffraganeus, Scholasticus, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Cracoviensis.

UNiversis & Singulis, quorũ interest, intererit, aut quomodolibet in futurum interesse poterit, præsentes literas visuris, lecturis, aut legi audituris significamus & ad notitiam indubitatam deducimus, quia nos, visis & lectis intrò contentis literis Apostolicis, Indulgentias pro Altari Tituli S. CRUCIS in Ecclesia Convẽtuali Lublinensi Ordinis Prædicatorum sito servientibus, in se continentibus, sanis, salvis, illæsis. omni vitio carentibus, nec in ulla sui parte suspectis, easdem juxta earum obloquentiam Authoritate Nostra Ordinaria admisimus, facultatemque publicandi ex Ambona coram populo ad Divina audienda congregato, concedimus. In quorum fidem Datt. Cracoviæ 6. die Novembris. Anno Domini 1687,

Nicolaus Oborski Episcopus Laodicen. Suffraganeus Cracovien.

ET Ego infrascriptus fidem indubitatam facio, præsenti meo scripto, quod hæc Sancta Confraternitas Sanctissimæ Crucis juxta tenorem, & obloquentiam Bullæ à Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO

TIO XI. ad Ecclesiam S. Stanislai Episcopi & Martyris Conventus Lublinensis Ordinis Prædicatorum die Decimâ Quartâ Septembris 1688. Solenni ritu introducta est. In cujus rei fidem manu mea propria subscribo. Anno, Mense eodem ut supra.

Ego Casimirus Carolus Wisniewski Actorum Consistorii Lublinensis protunc Notarius.

H Y M N U S.

Ad expositionem SSmæ CRUCIS cantari solitus.

SAlve CRUX Sancta,
Salve mundi gloria,
Vera spes nostra,
Vera ferens gaudia,
Signum salutis,
Salus in periculis;
Vitale Lignum
Vitam ferens omnium,
Te adorandam,
Te CRUCEM vivificam,
Per Te redempti,
Dulce, decus sæculi,

Sem-

Semper laudamus,
Semper Tibi canimus,
Per Lignum ſervi,
Per Te ſumus liberi.
Originale crimen,
Necans in CRUCE,
Nos à privatis
Chriſte munda maculis;
Humanitatem
Miſeratus fragilem
Per CRUCEM Sanctam,
Lapſis dona veniam.
Protege, ſalva,
Benedic, ſanctifica,
Populum tuum,
CRUCIS per ſignaculum;
Morbos averte
Corporis & animæ,
Hoc contra Signum,
Nullum ſtet periculum.
Sit Deo Patri,
Laus in CRUCE Filii,
Sit coæqualis
Laus Sancto Spiritui,
Civibus ſummis,

Gau-

Gaudium sit Angelis,
Honor sit mundo,
CRUCIS collaudatio.
AMEN.

H Y M N U S 2dus.

In Processione cum deportatur Lignum SSmæ CRUCIS Feriis Sextis cantari solitus.

LAudes Crucis attollamus
Nos, qui CRUCIS exultamus
Speciali gloria,
Nam in CRUCE triumphamus,
Hostem ferum superamus,
Vitali victoria.
Dulce melos tangat cælos,
Dulce Lignum dulci dignum
Credimus melodia.
Voci vita non discordet,
Cum vox vitam non remordet,
Dulcis est simphonia.
Servi CRUCIS CRUCEM laudent,
Qui per CRUCEM sibi gaudent,
Vitæ dari munera.
Dicant omnes & singuli,
Ave salus, sis sæculi,
Arbor salutifera.

O! quam Felix, quam præclara,
Fuit hæc salutis Ara,
Rubens Agni sangvine.
Agni sine macula,
Qui mundavit sæcula,
Ab antiquo crimine.
Hæc est scala peccatorum,
Per quam Christus Rex Cælorum
Ad se traxit omnia.
Forma cujus hoc ostendit,
Quæ terrarum comprehendit
Quatuor confinia.
Non sunt nova sacramenta,
Nec recenter est inventa
CRUCIS hæc Religio.
Ista dulces aquas fecit,
Per hanc silex aquas jecit,
Moysi officio.
Nulla salus est in domo,
Nisi CRUCE munit homo
Super liminaria.
Neque sensit gladium,
Nec amisit Filium,
Quisquis egit talia.
Ligna legens in Sarepta,
Spem

Spem ſalutis eſt adepta,
Pauper muliercula.
Sine Lignis Fidei,
Nec Lecytus olei
Valet, nec farinula.
In ſcripturis ſub figuris
Iſta latent; ſed jam patent
CRVCIS beneficia.
Reges credunt, hoſtes cedunt,
Sola CRUCE Chriſto duce,
Unus fugat millia.
Roma naves univerſas
In profundum vidit mersas,
Una cum Maxentio.
Fuſi Thraces, cæſi Perſæ,
Sed & partis Dux adverſæ
Victus ab Heraclio.
Iſta ſuos fortiores
Semper facit & victores,
Morbos ſanat & langvores,
Reprimit dæmonia.
Dat captivis libertatem,
Vitæ confert novitatem,
Ad antiquam dignitatem
CRUX reduxit omnia.
O!

O! CRUX Lignum triumphale,
Mundi vera ſalus: vale,
Inter Ligna nullum tale,
Fronde, flore, germine.
Medicina Chriſtiana,
Salva ſanos, ægros ſana,
Quod non valet vis humana,
Fit in Tuo nomine.
Aſſiſtentes CRUCIS Laudi,
Conſecrator CRUCIS audi,
Atque ſervos tuæ CRUCIS,
Poſt hanc vitam veræ lucis
Transfer ad Palatia.
Si tormentum vult ſævire,
Fac tormenta non ſentire,
Sed cum dies erit iræ:
Nobis confer & largire:
Sempiterna gaudia.
Amen.

OFFICIUM. S. CRUCIS.

AD MATUTINUM.

℣. Per ſignum CRUCIS de inimicis noſtris.

℟.

℟. Libera nos DEUS noſter.

Sic dicitur in principio omnium horarum S. CRUCIS.

℣. Domine labia mea aperies,

℟. Et os meum annunciabit laudē tuam.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina,

℣. Gloria Patri & Filio, &c.

non dicitur Alleluia, neque Laus Tibi Domine.

HYMNUS

PAtris ſapientia veritas Divina,
DEUS homo captus horâ matutinâ.
A notis Diſcipulis cito derelictus:
A Judæis traditus, venditus, & afflictus.

Antiph. O! CRUX venerabilis; quæ ſalutem attuliſti miſeris, quibus te efferam præconiis? quoniam vitam Cælitem nobis præparaſti.

℣. Adoramus Te Chriſte, & benedicimus Tibi:

℟. Quia per Sanctam CRUCEM redemiſti mundum.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, Fili Dei vivi,

pone

pone Passionem, & CRUCEM & mortem tuam, inter judicium tuum, & animam meam, nunc & in hora mortis meæ; & mihi largiri digneris gratiam, & veniam, Ecclesiæ Tuæ pacem, & concordiam, nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis &c.

AD PRIMAM

℣. Per signum CRUCIS &c.
℟. Deus in adjutorium meum intende,
℣. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

HOra prima Dominũ ducunt ad Pilatum
Et à falsis testibus, multum accusatum
Colaphis percutiunt, manibus ligatum,
Vultum Dei conspuunt; lumen Cæli gratũ.

Antiph. O! CRUX Victoria, & admirabile signum, in Cælesti curia, fac nos captare triumphum.

℣. Adoramus Te Christe, &c.
Oratio. Domine JESU Christe, *ut supra*.

AD TERTIAM.

℣. Per Signum CRUCIS &c.
Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

H Y M N U S.

Crucifige clamitant, horâ tertiarum:
Illusus induitur veste purpurarum!
Caput ejus pungitur Coronâ spinarum:
CRUCEM portat humeris, ad locũ pœnarũ.

Antiph. Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in CRUCE, nostra destruxit vincula criminum.

℣. Adoramus Te Christe &c.

Oratio. Domine JESU Christe, &c. ut supra.

AD SEXTAM.

℣. Per signum CRUCIS &c.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina,
℣. Gloria Patri & Filio &c.

H Y M N U S.

Hora sexta, JESUS est CRUCI conclavatus,
Et cum latronibus pendens est deputatus,
Præ tormentis sitiens, felle saturatus,
Agnus crimen diluens, sic ludificatus.

Antiph. Per signum servi facti sumus; & per Sanctam CRUCEM liberati sumus:

fructus arboris ſeduxit nos, Filius Dei redemit nos.
℣. Adoramus Te Chriſte &c.
Oratio. Domine JESU Chriſte, &c. ut ſupra.

AD NONAM.

℣. Per ſignum CRUCIS &c.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina,
℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

HOrâ nonâ Dominus JESUS expiravit,
Eli clamans, Spiritũ Patri cõmendavit:
Latus ejus lanceâ, miles perforavit,
Terra tunc contremuit, & ſol obſcuravit.

Antiph. O! magnum pietatis opus, mors mortua tunc eſt, in ligno quando mortua vita fuit.
℣. Adoramus Te Chriſte, &c.
Oratio. Domine JESU Chriſte, *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. Per ſignum CRUCIS, &c.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

DE

DE CRUCE deponitur, horâ Vespertinâ,
Fortitudo latuit in mente Divina,
Talem mortem subiit vitæ medicina
Heu corona gloriæ jacuit supina.

Antiph. O! CRUX benedicta, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; super omnia ligna cedrorum, tu sola excellior, in qua salus mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.

℣. Adoramus Te Christe, &c.

Oratio. Domine JESU Christe, *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Per Signum CRUCIS &c.
℣. Converte nos Deus salutaris noster,
℟. Et averte iram Tuam à Nobis,
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri &c.

H Y M N U S.

HOra Completorii, datur sepulturæ,
Corpus Christi Nobile, spes vitæ futuræ;
Conditur aromate, complentur scripturæ;
Jugis fit memoria mortis suæ duræ.

Antiph. Salvator mundi salva nos, qui per CRUCEM & sangvinē tuum redemisti nos, auxiliare nobis, Te deprecamur Deus noster. (Tibi, &c.

℣. Adoramus Te Christe, & benedicimus

℟. Quia per Sanctam CRUCEM redemisti mundum.

Oratio. Domine JESU Christe, *ut supra.*

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas, cum devotione,
Tibi Christe recolo, pia ratione.
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium, mortis in agone, Amen.

Possunt etiam recitari ante Altare Sanctissimæ CRUCIS sequentes devotæ Orationes, ex Sanctis Patribus desumptæ.

Ex D. BERNARDO.

O JESU! JESU mi, ad Passionis Tuæ gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victoriosæ CRUCIS regale vexillum in Nomine Tuo CHRISTE adoro. Tuum spineū Diademma, Tuos rubentes sangvineos clavos, Tuo sacro lateri immersā lanceā, Tua vulnera, Tuum sangvinē, Tuam mortem, Tuā sepulturā CHRISTE supplex adoro & glo-

rifico. Confige CRUCI Tuæ manus meas, & pedes meos, ac totum Passioni Tuæ conforma servum Tuum Domine, Amen.

Ex S: CHRISOSTOMO.

LAudo & celebro Domine Tuæ longanimitatis & patientiæ plenũ in me Mysterium. Adoro Domine venerandã & vivificã CRUCEM Tuam. Exosculor cruciatus, amo clavos, & mẽbrorũ foramina veneror. Columnã verò & lanceam, & spongiã suspicio; tanquã diadema Regium. Coronam spineã mihi impono, & sputis ut perlucidis lapillis ornor; & colaphis tanquã clarissimo ornatu glorior. Teque Confiteor verũ Deum, unum ex Sanctissima Trinitate JESUM CHRISTUM, qui pro me Passionẽ subijt, & sindone involutus, & ab iniquis Judæis irrisus, & tandẽ sepultus est, qui resurrexit tertia die, & iterũ venturus est judicare vivos & mortuos. Tua enim est gloria, & potentia simul cum Patre, & Sancto & vivifico Spiritu nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Ex S: THEODORO.

O! CRUX Christi! celeberrima Christiano-

norũ gloriatio. CRUX CHRISTI, Apostolorũ peculiaris prædicatio. CRUX CHRISTI Martyrũ Regale diadema. CRUX CHRISTI Prophetarum pretiosissimus ornatus. CRUX CHRISTI finium lucidissimus nitor, CRUX CHRISTI (nam ut cum re vivente loquar) protege eos, qui Te incenso pectore celebrant; conserva, qui Te fideli mente amplectuntur & osculantur. Guberna in pace, rectaque fide, subditos. Adduc omnibus CHRISTI Resurrectionis diem lætissimum, custodiens Pontifices, Antistites, Imperatores, Religiosos, Monachos, promiscuamque multitudinem & convenas omnes in CHRISTO JESU DOMINO nostro, cui gloria & potentia, cum Patre & Sancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

RELATIO HISTORICA,

de

Vitali Ligno CRUCIS SSmæ, quod Lublini, in Ecclesia S. Stanislai Ep. & M. P. R. P. sub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum asservatur, magnisque, ac fere innumeris claret miraculis,

ANnus à reparata salute Orbi affulserat supra

ſupra Milleſimum Quadringenteſimus Vigeſimus, dùm Providus ſupernorum Rector humanæ cupidus ſalutis, novum inexhauſtumqué gratiarum fontem Crucis SSmæ Divini Filii pretioſiſſimo cruore conſperſæ, partem non exiguam Lechico ſolo deſtinavit. Fuerat immenſus hicce Theſaurus jam indè à 3tio Chriſti ſæculo per D. Helenam Conſtantini magni Matrem totius vivifici ligni inventricem Orientis Imperatoribus in perenne pignus conſecratus Conſtantinopoli; donec Anno 990. diſponente procul dubio Divina Providentiâ mutata ſede Kijoviam eſt translatus.

Regebant namque eô tempore totius Orientis Clavum Baſilius & Conſtantinus, ortu & ſorte fratres, quô Vlodimirus, Albæ & Nigræ, Orientalis, Septemtrionalis, Meridionalis Ruſſiæ Monarcha (à quo Moſcovia Imperium totius Ruſſiæ nuncupari cæpit) magni Vlodimiri Avus auſpicato bellorum progreſſu, primò Corſunium, ac demum Tauricam Cherſoneſum ſuæ poteſtati ſubjecit. Hic ut in poſteris nomen ſuum immortalitati conſecraret, Annam Impe-

ratorum Orientis sororem, in thori sociam eligere decrevit. Et quamvis initio dispar Religio obstaret; tamen postquam Vlodimirus ejurato Idolorum cultu, gremio Fidei Catholicæ se adjunxit; faciles in suam sententiam pertraxit. Quare itineri se accingit desponsata Imperatorum soror, atque ut Novitio Christi militi consorti suo sibi, totique Regno de gratiarum fonte provideret, ut SSmæ Crucis Thesaurum doti suæ Fratres adjungant, rogat, & obtinet. Hâc igitur gemmâ dotata in Corsicæ fines ac mox Kijoviam se contulit, ubi allatô lignô vitæ, demoliuntur fana, idolorum cultus cessat, & quidquid superstitiosum spirabat virus, profligatur, ut Servatoris per Crucem honor in dies propagetur.

Verùm abditorum scrutator Deus; qui omnia incomprehensibilibus judiciis suis regit, & gubernat, non ultra quatuor sæcula ibidem inæstimabile lignum delitescere voluit. Præviderat namque, quibus Stygis tenebris Regna illa denuò involvenda forent; quare ne contemptui quondam Crucis hostibus Crux Sanctissima fiat, ibi collocan-

locandam decrevit, ubi perennaturis temporibus indefeſſo cultu frequentaretur.

Itaque Anno ab Incarnatione verbi 1387. quo Ivo Kijovienſi præerat Ducatui Andreas, quintus in ſerie Epiſcoporum, de Ordine Prædicatorio aſſumptorum, ſpeciali erga Lignum vitæ affectu flagrare cæperat. Nec ultra tanti deſiderii flammas occultare valens, palam precibus ſemel, iterumque, apud Principem inſtat, ut amorem quem erga eum ferebat, hocce pignore conteſtaretur: Nec deſtitit, quoad optatâ gemmâ eſt potitus. Verùm novis jam Andreas angoribus cruciabatur, ubi tantum pignus dignè collocaret! nec aptior occurrebat locus, quàm qui patrium illi, præbuerat ſolum, Cracovia is erat, indigenarum fervore zeloque clarus. Eò igitur quantocyùs accelerandum duxit, nec longiori morâ factâ, anxium iter aggreditur, Crucem ſacratiſſimam ſumma diligentia cuſtodiens.

Contigit, ut per viam hoſpitem Lublinenſis ſalutaret Conventus, Officioſa ſervitia, eâ, quâ licuerat, offerens humanitate,

quæ

quæ non recuſavit Præſul, donec ſe, ſuosque itinerum viciſſitudinibus laſſatos tantiſper recrearet; Nihil tamen de Theſauro, quo pergebat onuſtus, inſinuavit. Atque ne longior mora Cracoviam tantis divitiis privaret, incæptum iter progredi parat. Verum dum Andreas de donanda Cracoviæ Salvatoris Cruce ſollicitatur, aliud immolatus in Cruce Deus, de Cruce diſponit.

Jam Præſul junctæ quadrigis inſederat Rhedæ, cupidoſque itineris equos auriga impulerat, cum occulta vi adeò rotæ conſtitũt, ut nullatenus loco moveri poſſint, tentat iteratis vicibus, quin tamen quidquàm proficiat. Obſtupuit ad inſolitũ caſum Antiſtes, nec cui hæcce adſcribat, novit,(non alio niſi ſuperno impulſus inſtinctu)thecã ſive aſſervatoriũ,cui tantũ inerat pondus,deponi jubet, & ecce mox ultra cum rheda equi procedunt. Aſcendit iterũ Currum Præſul cum Cruce,iterũ redit inſuperabile onus; deſcendit ſecundo & tertiò de curru; recedit ſimul & onus. Jam hic Aram inter & lapidem conſtiterat Antiſtes, ne Lublini deponere cogatur pignus, & onus, quod Cracoviæ deſtinaverat metuens: at

cum Dei voluntatem conſiderat manifeſtiſſimô indiciô, fortior jam ſe ipſo effectus, Ejuſdem ſe voluntati conformat. Adſtanti cum Fratribus Priori inæſtimabile Clenodium tradit, rogans, ut quos ipſe in Cruce paſſus Salvator Crucis ſuæ cuſtodes delegit, ejus, qua par eſt, diligentia, cultum & honorem promoverent.

Non póterat hinc ortum gaudium diu latere Lublinenſis Civitatis Incolas. Unde percrebreſcente fama ſanctâ invidiâ Clerus excitatur, Kijovienſem Præſulem accedit, utque tanti pignoris participem reddat, obſecrat; conſenſit longis fatigatus precibus Epiſcopus, utque diviſo major præſtetur honor, celte arripit, vitale Lignũ bipartiturus. Sed ecce res miranda! vix ferrum ligno applicat,cum intra diviſi partes adeo Andreæ vulnerat inhæretque palmæ, ut nullis auxiliis evelli poſſit. Quid faciat propriô malô ſapere doctus! aſt non deficit animus; & cur deficiat? qui præſens vitæ antidotum læſa manu tenebat. Supplex itaque vitæ advolvitur ſtipiti, ſuam cum gemitibus agnoſcit culpam, fatetur delictum,

intactumque posthac vitæ lignum Prædicatorum Conventui relinquendum vovet. Et ecce! nec mora, sponte ferrum de manu excidit, nonnisi cicatrice in tanti miraculi testimonium relicta. Hinc fissum jam Crucis Lignum æternæ custodiæ Lublinensibus Patribus iterato devovet; ipseque Crucis CHRISTI imitator, custos, ac bajulus Andreas, sub ejusdem Crucis salutiferæ umbra in eodem Conventu Lublinensi, dies exemplo ac sanctitate lucidos cum transegisset; ad lucis pervenit munera, circa finem Regni Jagellonis Anno Domini 1434. ultimâ Maji. Qui ut obiit, statim in talis rei futuram memoriam, appositum ei erat Epitaphium ad majus Altare sequentibus exaratum carminibus:

Spiritus Astra petit, corpus requiescit in isto;
Præsulis Andreæ, pulvis & ossa specu;
Qui tulit huc sacri vitalia fragmina Ligni,
Quæ sibi Russorũ Dux monumẽta dedit.
Edita Pontificem cælitus miracula urgent,
Ut Crucis hoc maneat portio vera locô.
Asportare cupit, quoties au scindere ferro;
Hoc toties ultrix pæna relicta vetat.

Ergo

Ergo nec totum licuit, nec demere partem,
Hîc fors dante Deo tota relicta manet.

Citiùs tantorum fama miraculorum adjacentes oras pervaſerat, quàm conſervando tanto Theſauro dignus locus reperiri potuerit, Hinc alii ſalutis impulſi cupiditate, alii Dominicæ paſſionis ſuccenſi fervore, alii mira novitate perciti,turmatim Lublinum confluunt,morientis quondam Servatoris Thronum adoraturi, ſimul & admiraturi. Nec deſolatus quiſquam, qui firma fide in adverſis quærebat medelam, limina noſtra reliquit, quin de gratiarum fonte veram vitæ aquam hauſerit. Adeo Crucem Sanctiſſimam gratiis ſuis immolatus in Cruce ſalvator dotáverat, ut nullibi certius quæreretur pharmacum, quàm ubi mors ipſa contrita potentiâ vitæ ſuccubuit. Et hæc eſt ſeries Hiſtoriæ hujus. Fuſius autem hac de re ſcripsêre multi ac deprædicavêre, & nunc veri adoratores Crucis deprædicant mirabilia opera Dei per Crucem patrata, ad majorem Ipſiusmet Dei T. O. M. gloriam noſtramque tum Corporis tum animæ certiorem ſalutem.

Sic

Sic colligitur ex V. P. Paulo Ruſzel O. P. Abraham Bzovio. Simone Okolſki. Dominico Frydrychowicz, & Archivio Conventûs.

Modus Benedicendi ac ſanctificandi, vinum à tactu & ablutione vivifici Ligni SSmæ Crucis, contra quælibet adverſa, tum animæ, tum Corporis, multum deſervientis, ut pluribus compertum est experientiis.

Sit præſens vinum in vaſe mundo, & Sacerdos stolâ indutus proferat ſequentia ſuper illud: stans ante Sacratiſſimum Lignum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

EXorcizo te creatura vini, in Nomine Patris † & Filii, & Spiritus S. ne ſis cõmunis ulli Spiritui immundo: ſed medicina omnibus Fidelibus, permanẽs in viſceribus eorum, ut qui te guſtaverit vel biberit, ab eo omnis Spiritus immundus, cum omnibus veneficiis ſuis recedat. Benedico † igitur te creatura vini in Nomine D. N. JESU CHRISTI omniumque Sanctorum, ut

ſis

ſis purgatio omnium maleficiorum & medicina omnium languorum. O! Domine JESU CHRISTE, qui ad demonſtrandam virtutem Divinitatis Tuæ in Cana Galilææ aquam convertiſti, in vinum, dignare quoque exorci † zare, bene † dicere, & Sanctificare hoc vinum, ut ſit remedium efficax contra omnem poteſtatem inimicorum ſpiritualium, & contra omnia maleficia facta & facienda; ita, ut nullus ſpiritus malus, nullaque malitia ejus poſſit latere in homine iſto, qui hoc vinum piè guſtaverit.

Hic fiat ablutio à contactu SSmi Ligni.

Per Tuam S. Paſſionem & virtutem Sacratiſſimæ CRUCIS perque fel & acetum, quod bibendo ſanctificâſti, concedere digneris, ut qui ex hoc vino benedicto à contactu SSmæ CRUCIS ſanctificato biberit, mundetur à ſpiritibus immundis omnique maleficio: & omnis virtus Diaboli ab eo exterminetur, atque poteſtas Tua in virtute verborum Tuorum in eo prævaleat. Et ego Sacerdos Tuus in Nomine Sancto Tuo, & in poteſtate mihi tradita, bene † dico atque ſanctifico hoc vinum, ut vul-

pes Infernales demolientes vineam Tuam unà cum operibus suis maleficis destruantur, confringantur, & annihilentur. Per Christum Dominum Nostrum.

OREMUS.

DOmine JESU CHRISTE qui pro nostra Redemptione per passionem Tuam hoc Lignum Sanctissimæ CRUCIS sanctificare voluisti; concede propitius, ut quicunque hoc vinum, hujus Sanctissimæ CRUCIS tactu sanctificatum haustu perceperint; ab omni infirmitate mentis & Corporis absolvantur. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Et facit Crucem Sanctam super hoc vinum dicens:

Et benedictio Dei Pa✝tris Omnipotentis, & Fi✝lii & Spi✝ritus Sancti, descendat super hanc substantiam vini, ut ad effugandos Dæmones, morbosque pellendos Divinæ gratiæ sumat effectum, sitque omnibus id sumentibus adjutorium, & remedium. Per Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM, Amen.

Si vero vellet Sacerdos sanctificare aquam, à tactu Sanctissimæ CRUCIS, tunc assumat illam pro ablutione, jam benedictam; sper quam, proferatuorationem: Domine JESU CHRISTE &c. usque ad finem, apponendo verbum *aquæ, locô vini.*

Benedictio Crucis parvæ, quæ ad collum; sive ad Rosarium appenditur,

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini,

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Dominus vobiscum

℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S,

OMnipotens Deus, qui Crucis signum pretioso Filii Tui sanguine dedicâsti, quiqué per eandem Crucem Filii Tui Domini Nostri JESU CHRISTI Mundum redimere voluisti, & per virtutē ejusdē venerabilis Crucis humanū genus ab antiqui hostis chirographo liberâsti; te suppliciter exoramus; ut digneris hanc Crucē paternâ pietate bene✝dicere, cælestemque ei virtutē & gratiam impetiri; ut quicunque eam in passi-

onis, Crucis, Unigeniti tui signum ad tutelam Corporis & animæ super se gestaverit; cælestis gratiæ plenitudinem in ea & munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Si quis vero infirmus aut moribundus eandē in manu sua tenuerit, aut super pectus suū impositā habuerit, ad eū nō audeant appropinquare hostes maligni; nec ei tētationibus suis nocere, aut spectris suis pavorē immittere. Sed virtute hujus Crucis benedictæ ab infestationibus Dæmonum liberatus, JESU CHRISTO Filio tuo Redēptori suo, laudes & gratiarū actiones persolvat. Et quemadmodū virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendā benedixisti, ita hoc signū Crucis, Tuâ dexterâ bene✠dic & contra omnes Diabolicas fraudes virtutē ei Tuæ defensionis impēde, ut portantibus illam animæ pariter & Corporis prosperitatem conferat salutarē, & spiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Christum &c.

Deinde aspergens Crucem aqua benedicta dicat: Sanctificetur hoc signū Crucis: In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sācti. *Tum faciat tactum hac Cruce, ad vivificum Lignum dicens:* Et

Et benedictio illius Ligni, in quo mēbra Salvatoris Nostri suspēsa sunt, sit in isto signo Crucis, ut portātes eam propter Deū inveniant Corporis & animæ sanitatē. Per Christum Dominum Nostrum, Amen.

BEDICTIO ARMORUM.

℣. Adjutoriū nostrū in Nomine Domini
℟. Qui fecit Cælum & terram,
℣. Dominus vobiscum
℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

DEus Omnipotēs, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandū rebellē Goliath vires mirabiles tribuisti: clementiā Tuā humili prece deposcimus, ut hæc arma almifica pietate bene✝dicere digneris. Et concede famulis tuis eadē gestare cupientibus, ut ad munimen ac defensionē Sanctæ Matris Ecclesiæ, pupillorū & viduarum, contra invisibilium ac visibiliū hostium impugnationē, ipsis liberè & victoriosè utantur. Per Christum Dominum Nostrum, Amen.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa✝tris & Fi✝lii & Spi✝ritûs Sancti descendat su-

per hæc arma, & ſuper induentes ac portantes ea, ut eiſdem ad tuendã juſtitiam utantur. Proinde rogamus te Domine Deus, ut illos protegas & defendas, atque omnibus inimicis ſuis terribiles efficias. Qui vivis &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

NB.

CUm ferè in omnibus Eccleſiis Noſtris, devotio ad S: Vincentium Ferrerium, ſpecialem Thaumaturgum, feriis ſextis peragatur: Hic Lublini ut major ſit commoditas devotis ad Sacratiſſimam Crucẽ, principaliter feriis ſextis, pro quibus & multæ Indulgentiæ conceſſæ ſunt; Ex diſpoſitione Superiorum, feria ſecunda, cultui Sancti Vincentii Ferrerii ſpecialiter dicata eſt. Itaque & ſeptennæ ad eũdem Sanctum, non ſextis feriis, ſed ſecundis, convenientius abſolventur.

IMPRIMATUR.

Dominicus Kiełczewſki Canonicus Vicarius & Officialis Generalis Cracovien. Łovicenſis, Kielcenſis, Oſwiecimenſis Præpoſitus Judex Deput Tribunalis Regni mp.

